

Band VII., Nr. 2232, Seite 155

Graf Rudolf von Tübingen kauft von Abt Albert von Reichenau die Nutznießung der Einkünfte von den Besitzungen dieses Klosters in Aidlingen auf 6 Jahre gegen eine jährliche Abgabe von 8 Mark kölnisch.

Herrenberg, 1271. Oktober 8.

Rudolfus dei gratia comes de Tuwingen universis presentes litteras inspecturis notitiam subscriptorum. Noverint universi, quod reverendus in Christo Al[bertus] dei gratia abbas Augie Maioris omnes proventus et redditus possessionum suarum in villa Ottelingen quoad usufructum nobis vendidit ad sex annos continuo sequentes annis singulis pro octo marcis argenti puri et legalis ad pondus Coloniense, quarum quatuor marcas in festo Galli et quatuor residuas in paschis nuntio certo eiusdem donini . . abbatis apud Herremberch tenemur presentare et eandem pecuniam sub nostro periculo apud Rotwil transmittere, si fuerimus requisiti. Tenemur autem tantum recipere usufructum, quem ipse dominus percepturus esset substantia rerum ipsarum salva. Elapsis igitur sex annis predictis omnes possessiones predictae ad ipsum abbatem libere redeunt pro sue voluntatis arbitrio disponende. Ut autem hec firma permaneant, dedimus eidem quatuor fideiussores, scilicet D[ietericum] scultetum meum in Herremberch, . . dictum Cementarium, H. dictum Liúpen et . . dictum Vulpem cives eiusdem loci, quorum si unum decedere contingat, alter in locum eius eque ydoneus substituatur et si forte hoc factum non fuerit, tres superstites moniti in obstagio se recipiant, quousque id perductum fuerit ad effectum. Preterea condictum est, ut nuntius veniens singulis terminis pro pecunia huiusmodi exigenda in domum sculteti nostri^a predicti Herremberch, vel si ipse presens non fuerit, domum . . dicti Cementarii intret et in ipsorum fideiussorum expensis ibidem commoretur, quousque de pecunia tunc debita eidem plene fuerit satisfactum. Et si forte infra octo dies casu aliquo eidem satisfactum non fuerit, statim predicti fideiussores ab ipso nuntio moniti in obstagio certo se recipiant non recessuri, quousque prelibato nuntio et de argento ac de expensis factis totaliter fuerit satisfactum. Si autem nos vel fideiussorum aliquis negligens fuerit in premissorum aliquo aut rebelles, ad premissa omnia expedienda debet per censuram ecclesiasticam etiam non monitus nec citatus coherceri. Et in huius testimonium presentes litteras sibi transmittimus sigilli nostri robore communitas.

 Datum et actum Herremberch, VIII. idus Octobris, anno domini MCCLXXI.

^aAus *mei* korrigiert.



Der Textabdruck folgt dem Original.

 Bruchstück des Siegels des Pfalzgrafen Rudolf. Auf der Rückseite steht von derselben Hand: *Item omnia rata manebunt si dictus . . abbas litteras ratihabitionis nobis transmittet, alioquin ex conventione magistri Heinrichi de Capella contractus huiusmodi totaliter manebit irritus ac si nunquam.*

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

GLA Karlsruhe

Signatur/Titel des Originals:

5/17952

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Herrenberg

Ortsindex:

Aidlingen Wohnplatz (72)
 Aidlingen, BB
 Herrenberg Wohnplatz (118)
 Herrenberg, BB
 Reichenau Wohnplatz (14588)
 Reichenau, KN
 Rottweil Wohnplatz (12416)
 Rottweil, RW
 Tübingen Wohnplatz (16214)
 Tübingen, Tü